IOANNIS MANELPHI ... RESPONSIO BREUIS AD ANNOTATIONES...

Giovanni Manelfi, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

IOANNIS
MANELPHI
ERETANI, SABINI,
Medici, & Philoſ. Romani,

Reſponſio breuis

AD ANNOTATIONES PROSPERI
Martiani Saxolenſis,

IN COMMENTATIONEM

MARSILII CAGNATI VERONENSIS,
ſuper Aphoriſmo Concocta 22. lib. 1.
Hippocratis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.
M. DC. XXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſsimo P. M. S. Palatij Ap ſt.

P. Epiſcopus de Curte Viceſg.

E*Go Ludouicus Ceſcherinius Medicus, Philoſophus Romanus, ex commiſſione Reuerendiſsimi P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Magiſtri, legi ea diligentia qua potui, Opuſculum doctiſsimi viri Ioannis Manelphi Eretani, quod inſcribitur Reſponſio breuis ad Annotationes Proſperi Martiani Saxolenſis, in Commentationem Marſilij Cagnati Veronenſis, ſuper Aphoriſmo Concocta. 22. lib. primi Hippocratis, & nihil in eo inueni, quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ repugnet, neque quod*

Digitized by Google

poſsit pias aures offendere, neque quod aliquid contra bonos mores contineat.

Ludouicus Ceſcherinius Medicus, Philoſophus manu propria.

Imprimatur,

F. Gregorius Donatus Rom. Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri, Ord. Præd.

Digitized by Google

Nobiliſsimo Principi

D. D. MARIO SFORTIAE ONANI DVCI, &c.

IOANNES MANELPHVS F.

DESIDERIO flagraui ſemper Dux Excellentiſsime, etiam à prima die, qua domui tuæ Medicam facultatem exercere incœpi, aliquod obſeruantiæ meæ tibi ſignum præbere. Huiuſcemodi ingentem cupiditatem auxerunt deinde beneficia, quibus magnificentia Tua in dies me cumulauit. Et ideo cum forte fortuna coactus fuerim pro quondam celeberrimo Marſilio Cagnato Veronenſi Doctore meo præ-

præſtantiſsimo, non nullas reſponſiones nunc typis dare, viſum fuit aptiſsimum, ſub tuis quoque auſpicijs edendas curare. Cum etiam, & te Patrono, eiſdem qui detrahat nullus ſit futurus. Accipe igitur hoc munuſculum Excellentiſsime Princeps, leue quidem per ſe, & obſcurum, Tuæ tamen claritatis reflexu, & graue, illuſtreq. futurum. neque tamen munus ipſum, quale ſit, ſed qui potius largientis animus reſpicias. Sic vale datum Romæ 20. Martij 1621.

Illuſtriſs. & Excellentiſs.

D.D. SFORTIÆ PALLAVICINI PRINCIPIS NOBILISSIMI

Exaſticon.

SCripta tui nuper docti reprehenſa Magiſtri
Non orbata ſuis laudibus eſſe ſinis.
Nobile Cagnati dum corpora dogma medendi
Ingenio fulcis, tollis, & arte foues.
Grata animi virtus; poſthac tua fama peremnis:
Hoc æterna tibi nomina reddet opus.

IL-

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS MANELPHI ERETANI, SABINI, Medici, & Philoſ. Romani,

Reſponſio breuis ad Annotationes Proſperi Martiani Saxolen.

In Commentationem Marſilij Cagnati Veronenſis ſuper Aphoriſmo Concocta 22. lib. 1. Hippocratis.

DISCREPANT ſententiæ doctiſſimorum virorum, Marſilij, vt puta, Cagnati, atque Proſperi Martiani, circa Aphoriſmum 22. primi libri Hippocratis; Concocta, videlicet, medicare, atque mouere, non cruda, neque in principijs modo non turgeat, plurimum verò non turget. Græce πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν μή ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἤν μή ὀργᾷ. τά δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Digitized by Google

γᾶ. Super prima autem dictione πέπονα Doctiſsimus Cagnatus diſertiſsime loquitur, quando πὲπονα, inquit, & concocta, & matura dicitur. cum Ariſtotele verò 4. Meteor. matura magis proprie legitur, quam aliàs. & ideo hic in præſenti Aphoriſmo, maturā etiam legit eximius Cagnatus. Martianus verò, & ſi huiuſmodi interprætatio verbi πέπονα, opinioni ſuæ in nihilo aduerſaretur, quia tamen Cagnatum in omnibus fortaſſe conuicijs vrgere decreuerat, propterea πέπονα, ſiue concocta, ſiue matura dicas, inquit, nihil facit: quando & πέπονα, vel πέπτά, atque πεψθέντα, ſiue πέψιν, & πέπανσιν, aut ſimilia alia nomina, apud Hippocratem, nequaquam inter ſe differunt. Neque pariter obſtat eidem, quod Ariſtoteles in meteorologicis eandem proclamauerit diſtinctionem: quoniam communi lingua, reſpondet, loquebatur Ariſtot. Hipp. verò Ionicorum vſu. magnum vtique fugientium aſylum, vtque prouerbio fertur, Ariſtotelicæ auctoritatis ſolutionem conſequi minime valens, ſacram ancoram Martianus petit: atque interdum, licet magni viri Ariſtoteles, & Hippocrates in linguis differrent, ſuæ nihilominus erant partes demonſtrare, quod in huiuſmodi, præſertim,

Digitized by Google

ſertim, dictorum verborum vſu apud ipſos intereſſet, πέπονα, videlicet, πεπτά, vel πεψθέντα, atque πέψιν, πέπανσιν, & ſimilia. Cum & ſi varia eſſent apud Græcos linguarum genera, in plurimis tamen idiomatibus niſi per accentus, atque modos prolationũ haud diſcrepabant, quemadmodum & nobis in Italis idem conſtat: Et ſi inquam diuerſis in Prouincijs, diuerſis vtamur linguarum generibus, in plurimis tamen vocabulis conuenimus vt plurimum. Ergò etiam in hoc ſignificatu dictionis πέπονα veriſimile eſt Hippocratem cum Ariſtotele maxime ſentire. Accedente inſuper, quod maturationem fructuum idem Hippocrates ſignificando, vſus fuerit hac etiam dictione πέπονα: quando in 2. de dieta μῆλα γλυκέα δύσπεπτα. τὰ δὲ ὀξέα καὶ πέπονα ἧσσον. nempe, mala dulcia, inquit, concoctu difficilia, acida verò, & matura minus. Aduertatur, quæſo hic, quantum diſtinguat Hippocrates inter πέπονα, & πεπτά, quando mala dulcia concoctu difficilia dicit, concoctu ſcilicet concoctione, quæ in ventriculo celebratur, & ideo δύσπεπτα aſſerit: πέπονα vero minus. cur ergò non eodem vocabulo πεπτά hic etiam vtitur, ſi πέπονα, & πεπτά apud Hippocratem non diſtinguntur,

vt Martianus ait? Nulla, inquam, alia ratione, niſi quoniam πέπονα maturationem ſignificat, quam hic Hippocrati proprie ſignificare conſilium erat. Eodem in libro 2. de dieta σίκυοι, legitur, ὠμοὶ ψυχροὶ, καὶ δύσπεπτοι, οἱ δὲ πέπονες οὐρέονταί καὶ διαχωρεόντε. Cucumeres crudi frigidi, & concoctu difficiles: maturi autem minguntur, & per aluum ſecedunt. De nucibus ibidem τὰ δὲ πλατέα πέπονα, hoc eſt latæ verò maturæ, & quæ ſequuntur.

Ad eandem propriam maturationem ſignificandam, vtitur interdum Hippoc. duabus alijs dictionibus, cuiuſmodi πέπειρος, atque πέασει. πέπειρος, in eodem dicto 2. de dieta, quando ἄπιοι, loquitur, πέπειροι θερμαίνουσι, καὶ ὑγραίνουσι. ἀχράδες χειμέριοι πέπειροι διαχωρέουσι, αἱ δὲ ὠμαὶ στάσιμοι. Πέασει autem mentionem habuit idem Hipp. in lib. de nat. pueri, vbi etiam ὁ δὲ ἥλιος πέασει, καὶ στερεοῖ legitur. Neque obſtat autem, vt ipſe inſuper inſurgit Martianus, quod 6. Epid. 2. acut. & alibi πεπασμός, πέπειρος, & πέασομαι, abſque vlla diſtinctione protulerit Hippoc. quandoquidem dictis in locis nequaquam de propria maturatione loquebatur, ſed de maturatione improprie dicta. qua etiam metaphora

phora primo prædict. in Coacis, & alibi, οὖρα πέπονα legitur. quemadmodum & primo epid. conſtit. prima & ſecunda ὠμὴ ὑποςάσει. In acutis τὸν οὔρων πέπαν. In progn. οὖρον ἔστ' ἂν πεπανθῇ. De excrementis lib. de humoribus τά διαχωρεόντα, ἤρέπει. ἄναφρα. πέπονα, ὠμά ψυχρα. De ſputo primo de morbis ἄχρις οἳ τὸν βίαλον πεπανθῇ ἐν τῷ πλεύμονι.

De ipſis partibus affectis 5. epid. Hippoc. agens de vulnerato in cubito, cui ob corruptionem ſuppuretur, πεπαινομένου δὲ ἤδη. Quinimo etiam de ipſis pharmacis dicitur metaphorice maturatio: quemadmodum in epiſtola ad Damagetum μήτε, inquit idem Hippoc. ἰωμενὴν πέπονα φαρμακα: Neque aliquem peonia pharmaca præparantem vertit interpres: Ego autem matura pharmaca potius dicerem, matura videlicet, hoc eſt mitia blanda, veluti & de morbis maturis inferius affirmabitur. Metaphorice, inquam, de omnibus huc vſque recenſitis πέπονα, ſiue πεπειρα, ab Hippocrate appellabantur, propriè verò de fructibus ſolummodo, de quibus, vt ſuperioribus dicebatur, maturationes deſcribendo, haud confuſit quaſcunque concoctionum voces idem Hipp. verum πέπονα, πεπειρα, & πέασει, ſolummodo legiſſe memini.

Digitized by Google

Et quod πέπονα proprie matura ſignificet, ſicuti & πέπανσις maturatio, tãdem clariſſime apparet ex modo loquendi eiuſdem Hippocratis, qui concoctionibus in alijs, cuiuſmodi elixatio ſunt, atque aſſatio, nunquam voce πέπονα vſus fuit: alijs verò nominibus, & præſertim ὀπ7ος, vel ἑφθος: ἑφθος inquam dictione proprie elixationem ſignificantem, ſicuti ὀπ7ος aſſationem. vnde in ſecundo de morbis mul. quando de vteris agitur ad coxam illabentibus σκόροδα dicit Hippoc. ὠμὰ καὶ ὀπ7α καὶ ἑφθα, In cibo, videlicet, aſſumat mulier allia cruda, aſſata, & elixa.

Sed de hac nominum diſtinctione quidquid ſit, ſubſequenter in hoc, qui controuertitur aphoriſmo πέπονα, de quibus intelligatur in ambiguo eſt: namque multa ſunt, quæ ab Hippocrate matura appellantur, vt iam iam recitabamus, homines, nempe, vel excrementa, vt bilis, pituita, ſputa, lotium, & ſimilia quæque: quinimo ipſimet homines ab Auctoribus græcis πέπονες dicti leguntur; ex Homero, videlicet, lib. 13. Iliad. quando Therſitem inducit Græcos ſic appellantem, ὠ πέπονες ò maturi. De Hectore Atheneus lib. 2. Aeſch. ἀνήρ, dixit, δὲ ἐκεῖνος ἦν πεπαίτερος Μόρων. Vir autem ille erat maturior moribus.

Digitized by Google

ribus. Sicuti & Ariſtophanes in Comœdia illa, quam ipſe Equites inſcripſit, Chorum de Cleone loquentem ſic introducit. ἐνδύνηγ' ἐπεὶ τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις | κἀποσυκάζων τοὺς ὑπευθύνους σκοπῶν | ὅς τις αὐτῶν ὠμός ἐστιν, ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων | κἄν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα | καταγαγὼν ἀκ χερρονήσου διαβαλὼν ἀγκυρίσας. De quibus omnibus metaphoricis loquutionibus, vt vt etiam ſit, inquit Martianus, ſatis eſt mihi hanc vocem πέπονα apud Hippocratem nullibi ad morbos accommodatam fuiſſe: ac tamen euoluenti mihi eiuſdem Hippocratis libros, nequaquam vnus, verũ etiam, & plures ſe ſe mihi obuiam fecerũt textus, in quibus πέπονα, vel ὠμὰ mor bi appellantur: præſertim verò in acutis, quãdo, Detractionem, inquit, omnino tollere ſæpe conducit, vbi ſuffecturus eſt æger, Μέχρις ἂν τῆς νούσου ἡ ἀκμὴ πεπανθῇ. donec nempe morbi vigor matureſcat. Sicuti, & paulò inferius, πρὶν ἢ πέπειρον γενέσθαι τὴν νοῦσον, priuſquam morbus maturior factus fuerit. Quinto epid. Ὑποκαθαίρειν τὰς κοιλίας χρὴ ἐν τοῖσι νοσήμασιν, ἐπὰν πέπονα ᾖ. Ventres ſubpurgare oportet in morbis vbi matura fuerint, matura videlicet τὰ νοσήματα fortaſſe. Sexto pariter epid. Φύματα ξυμπεπαινόμενα etiam le-

 gitur,

Digitized by Google

gitur, hoc eſt matureſcentia tubercula.

De ijſdem tuberculis lib. primo de morbis φῦμα δὲ γίνεται ἐν τῷ πλεύμονι ὧδε. ὁκόταν φλέγμα ἢ χολὴ συςραφῇ, σήπεται. καὶ ἕως μὲν ἂν ἔτι ὠμότερον ἔῃ, ὀδύνην τε παρέχει λεπτὴν. καὶ βῆχα ξηρὴν ὁκόταν δὲ πεπαίνηται, ὀδύνη γίνεται καὶ πρόσθεν καὶ ὄπισθεν ἀνωξέα πάνυ. Tuberculum, ſcilicet, in pulmone fit hoc modo. quum pituita, aut bilis coacta putreſcit: & quandiu quidem adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, ac tuſſim ſiccam inducit: poſtquam verò maturum factum fuerit, dolor & ante, & retro acutus fit. πέπονα φύματα cum in 6. epid. tum in acutis, tum etiam, & pluribus alijs in locis, deſcripta reperiuntur apud Hippocratem: quemadmodum primo epid. conſtit. prima ἔβησσον δὲ μικρὰ καὶ πυκνά. πέπονα μετ' ὀλίγον μόλις ἀνάγοντες. Tuſſiebant, videlicet, pauca, condenſataque, concocta paulatim vix educentes. Quarto etiam epid. ſect. 4. leguntur abſceſſus. πέπειροι. Libro de veteri medicina de fluxu in nares πέπονες, inquit, ſicuti & de ardore ab eodem fluxu πέπανσις, quam etiam dictionem maturus eſt ego legerem. Tertio denique de morbis, in pleuritide ex dorſo πεπαίνεσθαι reperitur, atque πεπαίνοιτο: Cuiuſmodi in coacis cum de an-

gina

Digitized by Google

gina καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος πεπασμός κακόν, & omnis videlicet eiuſmodi maturatio mala, vertit Cornarius.

Ex quibus omnibus, & alijs quamplurimis, quæ breuitatis ergò ad præſens omitto, luce clarius apparet dictionem πέπονα etiam ad morbos ex Hippocrate accommodatam fuiſſe: eundemque Hippocratem, nec etiam perpetuo proprijs vocibus, verum & metaphorice interdum orationes habuiſſe, contra id, quod Martianus in ſua adnotatione ad verbum concocta, ſiue πέπονα decantabat.

De

De verbo Medicare.

ALTERA dictio, quæ in eodem Aphoriſmo conſequenter legitur, medicare, ſiue φαρμακεύειν græcè eſt, à qua pharmacum, quod omne præſidij genus in ſe complectitur. & ideo in lib. de fracturis, ἀλλὰ, inquit Hippocrates, ξηρὸν εἶναι ὡς μάλιστα φαρμάκῳ μὴ περισκελέι. De tuberculis agendo primo de morbis ἢν δὲ μὴ δύνηται πολλῷ χρόνῳ ῥαγῆναι, μήτε ἀπὸ ταυτομάτου, μήτε ὑπὸ φαρμάκων. De hicteritia 2. etiã de morbis προσθεὶς φαρμάκον πρὸς τὰς ῥῖνας. Sicuti & 3. itẽ de morbis, de peripneumonia, τῶν ἀναγόντων φαρμάκων διδόναι. De polipo in lib. de affectionibus, οἱ δὲ καὶ φαρμάκοισιν ἐκσήπονται. De locis in homine ὕπνου φαρμάκον ἐμετηρίσιας διδόναι. De morbo ſacro in proprio libro ὥς τε ἤδη εἶναι ἰσχυρότερον τον φαρμάκων τον προσφερομένων. De alimentis etiam in proprio libro, ἐν τροφῇ φαρμακείη, ἄριστον ἐν τροφῇ φαρμακείη, φλαῦρον. Omnia denique, præſentem ſtatum dimouentia φαρμάκα appellari Hippoc. lib. de locis in homine docuit, & aliàs: iuxta Galeni quoque peroptimam definitionem

finitionem

finitionem primo ſimpl. cap. primo. Et propterea etiam verbum φαρμακεύειν quamcunque medicam mutationem in ſe continere dicendum eſt: quemadmodum & Cagnatus in Comment. ad Aphor. concocta aſſerebat. propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis.

Quarto acut. 29. docuit idem Hippocrates apertiſsime, quando de angina loquens huiuſcemodi verbis egit: καὶ φαρμακεύων τοῖσιν ἐκλικτοῖσι, καὶ ἀναγαργαρίζων θερμοῖσι. Latine, & purgans, inquit, eclegmatibus, atque gargarizans calidis.

Differt autem, docebat vlterius Cagnatus φαρμακεύειν à καθαίρειν, vel φαρμακεύω à καθαίρω: quoniam hoc, iuxta Hippocratem, quamcumque purgationem ſignificare videtur; videlicet, & de purgatione per nares meminit ſæpius Hippoc. dictionis καθαίρω, de purgatione per oculos, per os, vterum, ſeceſſum, vomitum, veſſicam, de purgatione vlcerum, vulnerum, atque omnium denique aliarum purgationum; de quibus prolixiorem orationem euitando, loca Hippoc. ad præſens omitto. φαρμακεύειν autem præterquam quod de quacumque purgatione intelligitur, ſicuti & καθαίρω, comprændit ſub ſe quamcumque

Digitized by Google

cumque corporis medicam mutationem; ſed cum hoc adiungit Cagnatus, quod ſi ſimpliciter verbum φαρμακεύειν ab Hippocrate dictum reperiatur, veluti, & hic in præſenti Aphoriſmo, de purgatione ſolummodo intelligitur ex medicamentis inferne, aut ſuperne educentibus: quemadmodum & verbum καθαίρειν ſimpliciter dictum, atque antonomaſtice, idem apud Hippocratem manifeſtiſſime ſignificat. Ad quæ vltima Martianus, φαρμακεύειν, aſſerit, quotieſcumque apud Hippocratem ſimpliciter, & ſine adiuncto inueni, ſemper, & quandocumque, infernam purgationẽ ſignificauit. & ideo in hoc Aphoriſmo concocta φαρμακεύειν de inferne etiam purgantibus intelligendum eſſe in ſuis adnotationibus concluſit.

In qua re, vt paulo altius orationem meam ipſe repetam. Primò, atque principaliter Gal. in lib. de fracturis Comment. 2. tex. 19. Hippocratis moris eſt, inquit, vt φαρμακεύειν, ideſt medicare, non ad cuiuſcumque medicamenti exhibitionem referat, ſed ad eorum dumtaxat, quæ vim purgandi habent; purgandi affirmat, ſed non magis inferne, quam ſuperne Galenus.

Deinde Hippoc. in 2. de morb. mul. quando

Digitized by Google

do agit de vteris ad coxam collabentibus, *πρῶτον*, inquit, *μὲν ἁπάντων ἢν ἔτι ἰσχυρὴν ἐοῦσαν λαμβάνῃς, ὑποσκεψάμενος εἰς τὸ ἄλλο σῶμα φαρμακεύειν, ὁκοίης ἂν τινος δοκέῃ δεῖσθαι καθάρσιος*. Primum, videlicet, omnium ſi adhuc fortem aſſumpſeris, reliqui corporis reſpectu habito *φαρμακεύειν*, ideſt purgare oportet, quacumque videtur opus habere purgatione *καθάρσιος* græcè. Ecce igitur hic *φαρμακεύειν* vtramque purgationem apertiſſime ſignificat. In lib. de Veratri vſu, Quicumque in purgationibus (*ταῖς φαρμακοποσίαις* græcè) non ſitiunt, *καθαιρόμενοι παύονται, πρὶν ἢ διψῶσι*, non ceſſant purgari priuſquam ſitiant. In hoc loco non eſt dubium, ab Hippoc. eodem ſenſu *φαρμακεύειν* aſſumi, atque *καθαιρόμενοι*, de vtraque, videlicet, intelligitur purgatione, non autem de inferna ſolummodo; cum etiam non modo ex inferne purgantibus, verum etiam & ſuperne ſitis inducatur, atque eadem in vtraque purgatione finem ſuperuenire poſſe declaret, vt maniſeſtius ex Galeno 4. aphor. 19. colligitur. vbi eandem ſententiam ad verbum repetens Hippocrates, Gal. in commentario, ſitis inquit, præſertim efficitur ex ſiccitate quam euacuatio inducit, nec non etiam ex vi qua-

dam

Digitized by Google

dam ipſius purgantis medicamenti, in ſe habentis aliquam & ſi neque manifeſtam, neque ſenſibilem, at latentem acritudinem, vel caliditatem. Sed in purgatione ex vomitu, vtique ſiccitas inducitur, nec non etiam vomitum cientia, acria potiſſimum ſunt, atque calida. Ergò φαρμακοποσίαις hic, ſiue etiam φαρμακεύειν, vtramque purgationem ſignificant.

In acutis, quibus in principio vrinę nebuloſæ ſunt, aut etiam craſſæ tales depurgare oportet, græcè ὑποκαθαίρειν: quibus verò in principio vrinæ tenues, tales μὴ φαρμακεύειν, tales ne purgato vertit interpres. in quo pariter loco, pro eodem accipitur φαρμακεύειν, atque ὑποκαθαίρειν: In ſermone ſiquidem purgationum, cum inferne, tum etiam ſuperne, nullam prorſus diſtinctionem faciebat Hipp. inter duo prædicta verba: prout, nempe, in mentem ſibi repræſentabantur, eodem quoque modo ipſa enunciabat, ego affirmarem: Cuius etiam rei opinionem mihi adauget, quod Hippocrates interdum, ſcripſit integros libros, in quibus, & ſi plus mille occaſionum haberet de infernis purgationibus loquendî, nihilominus dictionem φαρμακεύειν in aliquibus nunquam reperij; Cuiuſmodi

in

Digitized by Google

in lib. de internis affectionibus, de natura muliebri, & alijs. in aliquibus autem rarò, quemadmodum libri de morb. mul. ſunt; in quorum primo ſemel tantummodo, ſi recte memini, in ſecundo verò bis dictionem φαρμακεύειν ipſe legi. & ita etiam ſe habuit idem Hipp. in 5. Epid. in 6. & alijs ſimilibus locis. nulla verò alia ratione, niſi quoniam de ſupernis, vel infernis euacuationibus agendo, verba φαρμακεύω, atque καθαίρω in pari gradu recipiebantur ex Hippocrate; proferebat autem frequentius hoc, quam illud, quoniam & magis pariter amicum ſibi erat. quemadmodum de ſynonimis verbis vnuſquiſque hominum alterum altero familiare magis habet.

Præterea 4. Epid. λαμβίῳ ἐν δυσεντερίῃ φαρμακευθέντι legitur. Si purgatus fuerat hic Lãbius, vt etiam veriſimile eſt, ab ipſo Hippocrate, φαρμακευθέντι nõ poteſt intelligi niſi de purgatione per vomitum. Quando & veratro, & vomitu primum alias curabantur ab Hippoc. diſſenteriæ: deinde verò lacte vtebatur, & alijs medicamentis, vt melius videre eſt in lib. 3. de dieta, vbi de pluribus generibus diſſenteriæ ſermo habetur: nec non etiam in acutis, quando acres inferne deie-

ctiones

ctiones propinatione albi hellebori ab eodem Hippocrate curantur.

Quinto inſuper epid. in hiſtoria Thiconis à catapulta percuſſus ἐφαρμάκευσε κάτω inquit Hippocrates. ſi φαρμακεύω indicat infernam purgationem, vt Martianus ait, ad quid igitur addere κάτω? Vtique addendo verba non neceſſaria, ſuperfluus omnino eſſet Hippoc. quod ipſe aſſeuerare nequaquam auderem.

Primo aphor. penultimo, In morbis acutis raro, legitur, & in principijs φαρμακείῃσι, ideſt purgationibus vti oportet; quid clarius? In principio, quando nequaquam conuenit inferne purgare, iuxta Martianas adnotationes, purgationibus vtitur Hippocrates, & ſaltem purgationibus per ſuperiora. Ergò φαρμακεύω, ſicuti & ab ipſo nomen deductum φαρμακείῃσι, etiam purgationes ſupernas apud Hippocratem comprahendunt.

Quemadmodum in 2. de morb. vulgaribus ſect. quinta, τὰς ἀγόνους πυρίῃν καὶ φαρμακεύειν dixit Hipp. Infœcundas, videlicet, Cornarius legit, fomentis, & medicamentis curato: Ego autem fouere, & purgare proprius legi affirmarem. quod quidem purgare, ſiue φαρμακεύειν de vtraque purgatione intelligendum eſt, cum & infœcundis mulieribus,

tam

Digitized by Google

tam inferne euacuando, quam etiam ſuperne occurratur, vt ex Hippoc. in lib. de ſterilibus, de morb. mul. & alibi, manifeſte, atque melius videre cuique licet.

Non obſtant autem, quæ ipſemet Martianus pro ſua opinione confirmanda in annotationibus adducit: quandoquidem, vt ex tex. 4. acut. principium ducam; Noſſe oportet, inquit Hippoc. eos quibus caput dolet ab exercitationibus, aut curſibus, aut profectionibus, aut venationibus, aut ex alio quopiam intempeſtiuo labore, aut ex re venerea: docolores item, raucoſos, & quæ ſequuntur. Ex talibus ſubiungit nullum φαρμακεύειν: ἢν δὲ φαρμακεῦσαι, δόξῃ ἐλλεβόρῳ ἀσφαλέως, ἄνω κάθαιρε. Ex talibus, nempe, nullum purgare oportet: ſi verò purgare viſum fuerit helleboro ſurſum tuto purga. Ecce hic φαρμακεύειν ſimpliciter dicit primo loco Hippoc. deinde verò ſi purgare viſum fuerit ſurſum purga. Ita quod φαρμακεύειν ſuperius dictum, cum habeat relationem ad aliud φαρμακεῦσαι inferne prolatum, dicendum eſt de ſuperna purgatione etiam intelligi. Et ſic φαρμακεύειν nequaquam ſolummodo infernam purgationem, verum etiam & ſupernam ſignificabit.

Digitized by Google

Secundo, aphoriſmus quarti libri Hippoc. Vtero gerentes φαρμακεύειν à quarto menſe, vſque ad ſeptimum, de inferna tantum purgatione, Martianus etiam intelligi affirmat: minime verò de ſuperna, cum & eadem in omni tempore grauiditatis celebrari valeat. In quo eſtò quidem infernas purgationes maiori periculo ſubiacere, quando & ad menſes propellendos, atque ad vterum expurgandum, huiuſcemodi libentius vtatur Hippocrates gyneciorum in lib. quam alijs per ſuperiora. attamen has quocumque tempore grauiditatis vacare periculo, non video ex quo colligi poſſit. cum è contrario 2. de morbis doceat ipſe idem Hippocrates, quod omnis occaſio vteros propellere poteſt, frigus videlicet pedum, atque lumborum, ſaltationes, terrores, lignorum ſectiones, curſus ad accliuem, vel decliuem locum, & alia ſimilia. Auicenna lib. 1. fen. 4. cap. 11. Amplius, inquit, faciendum non eſt, vt prægnans vomat, quoniam ſuperfluitates menſtrui ipſius non egredientur per talem vomitum, & labor mulierem ad æſtuationem perducet. faciendum eſt igitur, vt quieſcat. Praxim quoque exercentes medici omnes, in curatione vterogerentium vomitibus maximope-

Digitized by Google

re proſpiciunt: impetuoſo etenim motu ab ijſdem concitato, pelliculæ vtero inherentes interdum diſrumpi ſolent, quibus deinde ruptis, fœtus, inquiunt, ex vtero facillimè prolabitur.

Neque etiam obſtat, quod infortunia Medicorum referens Hippoc. infortunium proclamauerit, ſi quis medicamentum ſuperne euacuans prægnanti exhibuerit, & ex hoc aluus inferne erumpatur, abortuſque ſequatur: Eſto inquam, quod in hac prægnanti muliere ſuperne purgans minime eſſet inconueniens, non tamen ſequitur, quod in omnibus grauidis, omnique tempore propinari valeat: namque in hoc caſu, Hippocratem dixero de prægnantia intellexiſſe à quarto menſe vſque ad ſeptimum.

Sed dicet fortaſſe Martianus, à quarto menſe vſque ad ſeptimum, infernas purgationes Hippocrates nequaquam prohibet, ergò in his, nec etiam infortunium dici valuerit, ſi per ſuperiora purgans inferne amplius prorumpat. Et propterea de grauidis ante quartum menſem, vel poſt ſeptimum, textus allatus primi de morbis Hippoc. intelligendus eſt.

Reſpondetur, In præſenti grauiditate, in

Digitized by Google

qua medicamentum ſuperne purgans, etiam per inferiora erumpat, infortunium haud appellatur ex Hippocrate ab inferna purgatione, vt inferna purgatio: verum nimiæ purgationis ratione: Intendit quandoque medicus ſuperne euacuare, ex accidenti verò, vel quia fortius ſit medicamentum, vel alijs de cauſis, non modo quidem per ſuperiora, verum & ad inferiora prorumpitur purgatio: ex quibus deinde vtriſque purgationibus, prægnantium corpora magnam ſibi nanciſcuntur imbecillitatem, & ſic ligamenta vteri delaſſantur, atque tandem abortus conſequuntur, medicinæque profeſſoribus infortunia. Vnde, Medicum, aſſerebat ille, non modo ſcientificum, verum etiam & fortunatum eſſe oportet. Multa ſiquidem fortunæ ſubiacent in Medicinæ exercitio, & ſæpius cum Ariſtotele accidit, quod vbi minimum intellectus, plurimum adſit fortunæ, ſiue è contra, vbi plurimum intellectus, minimum fortunæ, quemadmodum, & viuenti Cagnato doctori meo pluſquam erudito, contingebat.

Tertio ſententiam affert Martianus quarti libri Hippocratis, ſub cane, & ante canem difficiles φαρμακίαι, vel purgationes latinè; In quo etiam loco de purgatione ſolummodo

Digitized by Google

do per inferiora intelligendum eſſe ait, non verò per ſuperiora: quandoquidem in Epiſtola ad Crateuam ſcribit Hippoc. ſe migraturum Abderam ad curãdum helleboro Democritum ab inſania vexatum: illudque anni tempus curationi congruum eſſe. erat autem tempus illud Ora anni, vt in ſequenti epiſtola ad Damagetum manifeſtius idem Hippocrates declarat. Cum ergò Ora anni, ſiue tempus caniculare, quæ idem ſunt apud Medicos antiquiores, aptiſſimum ſit ad hellebori propinationem; quando in aphor. 4. lib. Sub cane, & ante canem difficiles ſunt purgationes legitur, nequaquam valet intelligi de purgatione per ſuperiora, verum per inferiora tantum.

In hac verò Martiani argumentatione ſupponitur primo, quod Hippocrates haud expreſſe declarauit: quamquam etenim hic aliàs fateatur helleborum ad Democritum exportaſſe, atque Democritus etiam in quadam epiſtola de eadem re conqueratur, tanquam inſanum reputaſſet ipſum Hippocrates: Nihilominus in epiſtola ad Crateuam, quam in præſenti Martianus contendit, non modo quidem helleborum, verum herbas collige, inquit, Crateue quot & quales pote-

ris. Herbas igitur plures, radices, ſuccos, & alia huiuſcemodi expetebat Hippocrates. Et quatenus etiam ſolummodo helleborum petijſſet, non quidem album, & quo vomitus celebratur, verum nigrum dicendum eſt. quãdo in fine epiſtolæ ad eundem Crateuam, ſtabiliores, legitur, ſunt purgationes per veratrum, quibus etiam Melampus in Petri filiabus, & Anticyrus in Hercule furente vſi fuiſſe narrantur: minime verò vtemur aliquo ex his in Democrito. Veratrum quippe quo Melampus vſus fuit in Petri filiabus, nigrum erat, vt Dioſcorides lib. 4. cap. 134. perbene declarat: Et ideo Melampodion quoque ab eodem appellatur. Siue vt de melancolia Cœl. Aurel. lib. primo Cronicon. cap. 6. Melampodion à nigredine affirmarem, quæ μελαν græce dicitur.

Secundo, cœterum, ſubiungit idem Hippoc. ad Crateuam, hæc omnia ſtatim nobis mittito; namque & tempus anni congruum eſt, & neceſſitas dictæ inſaniæ vrget. Ergò Ora anni tempus congruum, inquit Hippocrates, non quidem ad hellebori exhibitionem, verum ad miſſionem, vel exportationem pharmacorum, dici fortaſſe poterit.

Tertio in epiſtola ſubſequenti ad Damage-

tum,

Digitized by Google

tum, ſerua clamabant Abderitæ ad Hippocratem, auxiliare, & medicare Democritum. & ego inquit Hippocrates, adhortabar ipſos vt confiderent, tanquam fortaſſis nihil eſſet mali: aut ſi quid eſſet, modicum id eſſet, & correptu facile, confiſus, videlicet Oris anni eteſijs. Statuebat multum itaque Hippocrates, in oris anni eteſijs, non verò pro hellebori exhibitione, at quoniam Eteſiæ ad ſanitatem quam maxime conferunt: Eteſiæ inquam, ex quibus cum tullio de nat. Deorum, nimij arcentur æſtatis calores: quæque ni bene flantes accedant, valetudo viuentium in periculo verſatur; ſin verò è contra bene accedant, optimæ ſunt, beneque anni diſpoſitionis indicium. Et ideo in Eteſijs bene ſpirantibus multum confidẽs Hippocrates, Democrito medicinam facturus, modicum mali eſſet iudicaui, affirmauit.

Quarto, Codex meus græcus ex Franciſco Aſulano typis demandatus tempore Pontificatus ſanctiſſimi Clementis Septimi, libello de medicamentis purgãtibus caret, tanquam fortaſſe ab ipſo non genuino habito. latine ſcriptus huiuſmodi liber paruus eſt, ſique totus legatur, de vtraque purgatione Hippocratem fuiſſe loquutum, manifeſto apparet,

atque purgationes à canis ortu per quadraginta dies cum prohibet, rationem affert, quæ in vtraque purgatione etiam militari poſſit: Carnes enim ipſorum, & ventres cum calidi ſint, medicamentum aſſumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi regij ſpeciem præ ſe ferunt, & quæ ſequuntur alia, Hippocrates inquit. Ergò aphoriſmus ſub cane, & ante canem difficiles φαρμακεῖαι, de vtraque purgatione intelligendus eſt: Quinimo fortaſſe per ſuperiora magis, cum & de ijſdem in præcedenti quoque aphoriſmo loquutus fuiſſet. Aeſtate ſuperiores magis purgare oportet, Hippocrates docuerat, ſed aduerte, quaſi vellet dicere, quoniam ſub cane, & ante canem ἐργώδεες ſunt purgationes.

Quod vero, vt amplius affirmat Martianus, φαρμακεύειν dictio idem ſonaret apud antiquos græcos, quemadmodum & apud nos la medicina: præter quam quod ſimplici coniectura, & gratis id aſſeritur, nulliuſque teſtimonio magni viri: Nihilominus, etiam ſi id aſſeratur, dicerem tale nomen, Medicina, Ideo fortaſſe apud nos inferius purgans pharmacum ſignificare, quoniam huiuſcemodi modus purgationis temporibus noſtris frequen-

Digitized by Google

frequentior ſit, quod in antiquioribus an eſſet, liquido non conſtat: cum etiam, & apud eoſdem, cum græcos, tum latinos Medicos, & vſque ad tempora Aſclepiadis, vomitiones magis vigerent: Ex quo Plin. lib. 26. cap. 3. Aſclepiades, inquit, merito damnauit & vomitiones tunc ſupra modum frequentes. Atque Hippoc. 3. de dieta, vomitiones bis in menſe fieri debere docebat. quemadmodum & non nulli ſæpius quoque celebrabant. Propterea ratione conſuetudinis fortaſſe in hoc aliquis diceret, apud antiquos per ſuperiora purgationes, magis celebrabantur, quam inferiora. atque Hippocratem præſertim, qui & ſi pluribus numero pharmacis vteretur deorſum purgantibus, cuiuſmodi ſuccum betæ memorat, braſſicæ, epithimum, peplium, granum gnidium, titimalidem, ſcamonij ſuccum, & radicem, helleborum nigrum, lac, ſerum, mercurialem, Hippophaim, elaterium, tapſiæ radicem, cneorum, magneſiæ lapidem, ecnium, polipodium, medicamentum quoddam ex ſale, & ſimilia: attamen veratro albo, vel ſeſamoide Hippoc. aut alio huiuſmodi medicamento, ſæpiſſime ægris ſuis vomitum procurabat. & per conſequens à frequentiori vſu, haud vide-

videtur, inquam, φαρμακεύειν de ſola purgatione per inferiora accipiendam eſſe: quemadmodum hodierno vſu la medicina Italice percipitur.

Occaſione eiuſdem dictionis φαρμακεύειν aſſeruit præterea Martianus, helleborum ſimpliciter dictum, ſemper, & quandoquumque, apud Hippocratem, album ſignificare. Et quidem ante ipſum fuit hæc Galeni quoque opinio 5. aphor. primo, & alibi. Quamquam ex altera parte, eundem apud Hippocratem multa ſint, quæ huiuſcemodi propoſitionem in dubio reducant: Namque in lib. de inſomnijs in ordine ad inſanientes, helleborum adducitur ſine vlla adiectione: in quo caſu, affirmandum eſt, vel de vtroque Hippocrati orationem fuiſſe, vel potius de nigro ſolummodo; cum & ad inſaniam conferre huiuſcemodi etiam referat Dioſcorides, non verò album, vt videre eſt lib. 4. ſuperius allegato tex. 134.

In libro etiam de fracturis, in curatione illorum, qui ſaltu è quopiam alto loco peracto in calcaneum vehementer ſe fulciuerūt, præſtat autem, inquit idem Hippocrates, & veratrum bibendum dare eadem die, aut poſtera, & quæ ſequuntur. Cum ergò calcaneum

neum hic afficeretur, niſi de helleboro nigro minime intelligi poteſt, iuxta illa quarti aphoriſmorum Hippocratis, Dolores qui ſunt ſupra præcordia, quicumque egent purgatione, purgari oportere per ſuperiora ſignificant: quicumque autem infra ſubſiſtunt per inferiora.

Secundo inſuper de morbis mulierum de altero fluxu loquendo, Cum ſic habuerit, docebat Hippoc. pharmacum bibere oportet, ſi quidem fortis fuerit ex veratro: ſi verò debilis, radicem, & elaterium. Elaterium verò per inferiora purgat: quemadmodum, & idem Hippoc. in lib. de internis affectionibus, vel alibi docuit. Ergò de veratro etiam inferne purgante intelligetur hic helleborum ſimpliciter prolatum: cum ex Hippocrate ad eiuſdem morbi curationem dirigatur, ad quam elaterium inferne purgans.

Primo etiam de morbis mul. quando agitur de illis mulieribus, quibus viri ſemen in vtero putreſcit: Curare autem oportet, legitur, helleboro, aut ſcammonio, aut peplio: hæc enim ſurſum purgant, aut deorſum. Ecce igitur, veratrum hic ſimpliciter dictum, ſurſum, aut deorſum purgat, Hippoc. affirmat; ſurſum, videlicet, album, infra verò nigrum.

Digitized by Google

grum. Et ſic hellebori nomine vtrumque intellexit Hippoc. Quemadmodum clarioribus verbis docuiſſe etiam apparet in epiſtola ad Crateuam ſuperius adductam. Vbi ſtabiliores ſunt, ait Crateue, purgationes per veratrum, quibus Melampus in Petri filiabus, & Anticyrus in Hercule furente vſi eſſe narrantur. Melampus autem, ſicuti cum Dioſcoride alio loco dicebamus, in Petri filiabus helleboro nigro vſus fuit, non verò albo. Itaquod hellebori nomine, tam nigrum, quam etiam album, Hippocratem intellexiſſe videtur. Sed de hac hellebori appellatione quidquid ſit, accedo ad aliam dictionem, quæ ſequitur aphoriſmi.

De

Digitized by Google

De verbo mouere.

QVæ verò aphor. 22. Concocta medicare dictio conſequenter accedit, mouere eſt, ſiue græcè κινέειν: mouere ſcilicet, inquit doctiſsimus Cagnatus meus nunquam ſatis laudatus, omne in ſe dictio compræhendens, quod à medicis efficitur. & ideo 2. de morbis Hipp. in fiſtula pulmonis, τὴν δὲ κάτω κοιλίην, μὴ κινέειν φαρμακῳ. Primo de morb. mul. ad fœtum immobilem corrumpendum, & expellendum, ἔμβρυον, dicitur, ἀκίνητον. φθεῖραι καὶ ἐκβαλεῖν. Secundo item de morbis mul. de vteris commotis, & alio allapſis τὰς τοιαύτας χρή δὲ ὑστερόυ ἢν μὴ ἀξυμμίξωσιν ἀλλά κινέωνται. Tertio de morbis in peripneumonia de ſputo, καὶ κινέοις legitur. Primo aphor. 20. Quæ iudicantur, & iudicata ſunt nuper, ἀρτίως græcè, μή κινέειν, neque mouere, neque nouare, neque medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet. Secundo etiam aphoriſ. 29. Inchoantibus morbis, ſi quid tibi videtur mouendum moue, κίνει græcè, cum verò conſiſtunt melius eſt quietem habere. Atque tandem

tandem 2. eodem aphor. 51. Multum, & repente euacuare, inquit Hippoc. replere, calefacere, refrigerare, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, & omnino, ſcilicet, corpus mouere periculoſum. Calefacere, itaq. refrigerare, cibum offerre, vel auferre, atque omnimode corpus mouere, ſub ſe κινεεῖν dictio compræhendit. Martianus verò aliàs doctiſſimus, vtique κινέειν, inquit, cuicumque mutationi adhæreſcere poteſt, verum ſimpliciter prolata huiuſmodi dictio, apud Hippocratem, nullam aliam mutationem ſignificat, quam φαρμακεύειν, infernam ſcilicet euacuationem, & ita ſe obſeruaſſe Hippocratem legendo ſubiungit. In qua primum re tantum valeat aliorum negatio, quantum ipſius Martiani affirmatio: Hippocratem quando, & ipſe quoque legi, iterumq. legi, talemq. conſuetudinem in verbo κινέειν obſeruaſſe nullibi inueni: quinimo è contra, vt iam iam ſuperioribus adductis, ſatis ſuperq. probatum fuit. Neque valent ex altera parte, quæ ipſe Martianus ad aphor. 20. primæ ſect. adducebat: quandoquidem neque mouere, neque nouare, dixit Hipp. non quia mouere quamcumque mutationem haud ſignificaret, verum nouare adiunxit, vt magis, atque magis medici-

nam

Digitized by Google

nam exercentes admoneret, in iudicationibus ne quidquam adminiſtrarent. qua etiam amplius ratione, ſed ſinere oportet ad calcem aphoriſmi adnotatur; & nihilominus, in præſenti, non mouere, neque innouare, ſed ſinere oportet, vtique idem reſonant. voluit autem Hippocrates, vt dicebamus, omnia ſcribere admonitionis ergò, atque præterea claritatis, ad quam maximopere incumbebat: quemadmodum, & eundem loquendi inſtitutum, aliàs pluries ſeruauit: atque præſertim, in 2. de morb. mul. quando agitur de vteris commotis, alioq. allapſis: Huiuſcemodi verò, inquit in hoc loco Hippocrates, poſtea ſi non quieuerint, ſed moueantur, vera. tro purgare oportet, & ſi nō ſatis fuerit, etiam vomitus facere, & non lauari, tacereque, ac quieſcere. dictione verò tacere vtique omnia alia complectebatur Hippocrates, clarioris attamen ſermonis gratia, & quieſcere addidit. Ex quo nihil etiam abſurdi fuit in præſenti aphoriſmo, quæ iudicantur, & iudicata ſunt nuper, neque mouere, neque nouare, etiam ad finem apponere: modus profectò loquendi, qui etiam & Italice, ſi bene aduertatur, conſuetus apparet.

Quod verò ἀλλ' ἐᾶν, videlicet ſinere oportet

tet ad vltimum aphoriſmi addiderit Hippocrates, non verò quieſcere; præterquamquod enim hæc duo idem ſignificant, nihilominus ſinere oportet, in præſenti affirmatur ex Hippocrate, proxime relatiue ad innouare, non verò mouere, vt Martianus ſibi perſuaſit. Sed hæc nimis ſubtilia ſunt, & propterea ἀλλ' ἐαῦ.

Ad confirmandam inſuper magis noſtram verbi κινέειν interpretationem, adducebatur præterea aphoriſmus vigeſimus nonus primi libri Hippocratis, inchoantibus, nempe, morbis, ſi quid tibi videtur mouendum moue, cum verò conſiſtunt, melius eſt quietem habere. Ad quem pariter Martianus, ſi mouere, inquit, quemcumque motum ſignificat, atque quieſcere illius oppoſitum, ſequeretur in principio morbi omnia remedia adhibenda eſſe, ſicuti & in vigore à cunctis abſtinendum; ac tamen è contra, cunctorum morbi temporum pœculiaria remedia adſunt: cuiuſmodi in ſtatu, clyſteres, ait, vel vomitus adminiſtrantur, venæ ſectio, atque prȩſertim per hyrudines ad ſedem, quam venæ ſectionem de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 20. Gal. quolibet morbi die celebrari adhortatur: atque alia denique adſunt remedia

ſtatui

Digitized by Google

ſtatui morborum perquam propria.

Et profectò quecumque remedia in principio morborum, ſi videantur, adhibenda vtique ſunt, ipſe affirmarem: quandoquidem circa initia, & fines omnia imbecilliora, in ijſdem aphoriſmis Hippoc. docebat; quemadmodum & in ſtatu omnia fortiora. Vnde à ſtatu, vt ſtatus ſumpta etiam indicatione, præſidia minime propinanda veniunt, quando & fortiores tunc temporis exiſtant morborum vires, ex quibus natura maxime etiam onerata, alijs ponderibus non eſt quod aggrauetur: Medicamenta, videlicet, cum à natura ex morbo maxime grauata minime actuentur, tantum abeſt vt propinata iuuent, vt è contra potius in ipſam naturam agant.

Et ideo in morborum vigore, quando & crudus eſt morbus, melius eſt quietem habere docebat Hippocrates. Vbi etiam aduertendum eſt, quod melius eſt, inquit, non verò ex profeſſo nihil penitus in morborum ſtatu celebrandum ſit: quoniam & turgente natura, etiam in ſtatu præſidia offerenda ſunt. Sicuti eadem ratione clyſteres, vel vomitus hoc tempore celebrantur: non verò huius temporis, ſtatus videlicet, pœculiaria remedia quoniam clyſteres ſint, vomitus, vel ſan-

Digitized by Google

guinis miſſiones ex hemorrhoidibus, & ſimilia.

Namque & à clyſteribus incipiendo, huiuſcemodi pœculiares ſtatui eſſe, vt Martianus ait, Medicorum, ſi recte memini, & ex veteribus præſertim nullus docuit, quinimo è contra Hippocrates in acutis comm. 4. tex. 44. ventrem ab initio clyſtere duces, inquit. Phyliſco primo ægroto primi epid. ſecunda die clyſterem infuſit. Philini vxori glandem quinta die ſubdidit. ſicuti & in principio etiam valetudinis, Epicratis vxori aliam glandem Hippoc. appoſuit, atque tandem hodierno tempore, feliciqúe cum euentu, practicantes ab enematibus non ſe abſtinent etiam prima die morbi. Sed quare clyſteres ſtatui ſunt magis proprij, quam principijs morborum, quam augumento, vel declinationi? quando & omnibus morborum temporibus, vel nulla, vel omnia præſidia competant, prout magis, vel minus indicentur, prout natura turgeat, & huiuſcemodi.

Vomitus quoque, veluti à natura in principijs, vel alijs morborum temporibus celebrantur, vt epid. libri in Epicratis vxore teſtatum fecere, in Muliere decumbente in littore, in Nicolai Concubina, & alijs ſimili-

bus

Digitized by Google

bus in dies hoc manifeſtatur; ita etiam, atque feliciter, nullus extat ex Medicorum cœtu, qui huiuſcemodi cum arte nõ procuret: dummodo tamen & indicantia adſint. quinimo Gal. pr. ad Glauconem c. 11. vomitu poſt factam concoctionem in quartana maxime vtitur. Venarum pariter hemorrohidarum ſectiones ſi non turgeant, nec etiam in ſtatu agendæ ſunt, iuxta illa ſuperius Aphoriſmorum Hippocratis, cum morbi conſiſtunt melius eſt quietem habere. Neque obſtat quod Galenus lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 20. in ſanguinis miſſione dierum numero haud reſpiciendum doceat, atque omni etiam die ſanguinem extrahi poſſe, dummodo ſcopos in laborante inueneris: quãdoquidem Galeni verba ſano modo percipienda ſunt. inquit profecto Galenus dierum numero minime eſſe attendendum; numero inquam vt numero, quemadmodum illi faciebant, quorũ opinio erat ne poſt tertium dierum circuitum, aut vltra quartum, vel alios dies phlebotomia efficeretur: Vnde Cornelius Celſus inter cœteros, lib. 2. cap. 10. ſed vt aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic numquam vtile poſt diem quartum eſt: cum iam ſpatio ip-

& ſorbitionibus, alijſq. huiuſmodi aluum ſubducentibus contingunt.

De verbo autē φαρμακεύειν ſuperius agendo, pharmacum, dixerat Martianus, purgantem potionem tantummodo ſignificat. quæro igitur nunc, an ſucci, ſorbitiones, & alia huiuſcemodi aluum ſubducentia ſint purgantes potiones? Vtique negari minime poteſt, & per conſequens ſucci, ſorbitiones, & ſimilia purgantia à pharmaco haud differunt, vt in hoc verbo κινέειν è contra videtur affirmari. Cum verò ſucci, ſorbitiones purgantes, atque pharmaca, præterea, non differant; Ergò Martiani cum explicatione κινεῖν, atque φαρμακεύειν nec etiam inter ſe diſtabunt, & denique ſuperfluus eſſet Hippoc. quod ipſe nequaquam affirmare tentauerim.

Deinde, ſi ideo adiungitur κινέειν in præſenti ahporiſmo, quoniam includat ſub ſe etiam purgationem per inferiora, quæ fiat à ſuccis, vel ſorbitionibus; ab alimentis videlicet medicamentoſis, atque purgantibus, fortaſſe Martianus dicere volebat; ſequeretur; quod ſub verbo φαρμακεύειν minime includeretur niſi purgatio per medicamenta ſolummodo medicamenta, non verò quæ celebratur etiam ex alimentis purgantem vim in ſe

Digitized by Google

habentibus: Concluſio vtique valde ingenioſa, & ſubtilis, ſed non valde ſubſiſtens iudicio meo. quando & in omnibus locis ſuperius de φαρμακεύειν dictione allatis, cum dicitur φαρμακεύειν, tam intelligatur de purgatione per medicamenta ſolummodo medicamenta, quam etiam per alimenta, & medicamenta ſimul; cum præterea alimenta quando purgant, vt purgant medicamenta ſint, non verò alimenta. & ideo à φαρμακεύειν dictione excludi poſſe non videntur: à φαρμακεύειν, ſcilicet, omnem purgationem, ſiue ſimpliciter dicto verbo, vtramque ſub ſe continens, vt ſuperioribus dicebamus. Vnde vtero gerentes à quarto menſe, vſque ad ſeptimum purgare, φαρμακεύειν græcè, cum aphoriſmo Hippocratis; ſi inquam dictione φαρμακεύειν intelligatur purgatio, quæ celebratur per medicamenta ſolummodo medicamenta, ergò ſequeretur quod in vtero gerentibus alia purgantia, cuiuſmodi alimenta quædam ſunt, nequaquam exhiberi poſſent: & nihilominus non video rationem, cur potius medicamenta ſolummodo medicamenta in hoc caſu propinari poſsint, non verò etiam alimenta medicamentoſa, & purgantia ſimul: cum etiam ideo in hoc caſu, ante quartum menſem, &

poſt

Digitized by Google

poſt ſeptimum purgantia medicamenta prohibeantur, quoniam ratione motus per inferiora, inquit Martianus ſuper verbo φαρμακεύειν, periculum eſt ne fœtus erumpat, & profluat; quod inquam periculum etiam minatur ex purgatione per alimenta celebrata: Cuiuſmodi, exempli gratia, lac eſt, quod ſi in quantitate propinetur purgionem per inferiora etiam magnam excitare poterit, & per conſequens fœtus eiectionem, ſiue prolapſum. Ita quod alimenta etiam purgantia à dictione φαρμακεύειν excludi nequaquam videntur. λαμβίω ἐν δυσεντερίῃ φαρμακευθέντι dicebat Hippocrares in 4. epid. Si φαρμακευθέντι, cum explicatione Martiani, purgationem per inferiora ſignificat ex medicamentis ſolummodo medicamentis; ergò ſequeretur quod in diſſenteria non poſſent exhiberi niſi medicamenta ſolummodo medicamenta, non verò alimenta etiam medicamenta: ac tamen huius rei pro Martiano nulla ratio ſe ſe demonſtrat; quinimo è contra, optimum medicamentum legitur apud Hippocratem in lib. de alimento quod ſimul alimentum eſt, atque medicamentum.

Sed amplius, Quarè concludit ibidem Martianus, ſola euacuatio, quæ fit per aluum,

Digitized by Google

in morbi vigore ſuſpecta eſt, atque huiuſcemodi ratione, quoniam hæc præ alijs euacuationibus, & coctionem, & cryſim, quæ eo tempore potiſſimum contingunt, impedire poteſt.

Ad quæ reſponſum exhibendo, In primis affirmauerim ſuperius iam fuiſſe demonſtratum, quamcumque euacuationem eſſe ſuſpectiſsimam, dummodo non turgeat, atque in ſtatu melius eſſe quietem habere, cum Hippocrate, quam aliàs.

Secundo, ſolam euacuationem per inferiora cryſes impedire, Hippocrates nunquam docuit, verum è contra in aph. Quæ iudicantur, & iudicata ſunt, neque mouere, neque nouare, inquit, ſiue medicamentis, vel aliter irritando. Quæcumque igitur alia propinata medicamenta, cryſes impediunt, non verò ſola euacuatio per inferiora, cum Hippocrate.

Tertio, cuicumque etiam rudiſsimo Medico iudicandum relinquo, vtrum iſtorum præſidiorum magis naturam à coctione reuellat, ſiue ex iudicationibus abducat: leuis nempe euacuatio per inferiora, atque perata ex leuiſsimis medicamentis: Cuiuſmodi olea quædam ſunt, mercurialis, manna, caſſia,

Digitized by Google

ſia, & ſimilia quæque, an verò fortiſsimi vomitus ex veratro, vel antimonio procurati; ſicuti etiam & larga phlebotomia, cruciatus ex veſſicantibus, inuſtionibus, vel alia his non diſsimilia? Profectò vel natura, aut proprius amor illũ obcœcauerit, qui huiuſcemodi coctiones minus impedire, ſiue à cryſibus naturam minus reuellere iudicabit, quam leuiſſimas ſuperius recenſitas per inferiora euacuationes.

Haud præterea negauerim, quæ Hippocrates tex. 115. eiuſdem quarti acut. affirmat: Periculum, nempe, ſubibis, & nihil opis afferes, & ſpontinas ſolutiones, & iudicationes tolles. quando & vomitus ciendo, ſanguinis miſsiones, ſudores, mictiones, & alia quæcumque his correſpondẽtia adminiſtrando, in eadem penitus pericula incidi valeamus.

Neque obſtat, denique, quod Ariſt. 3. polit. cap. 2. In Aegypto referat poſt tertiam diem mouere licuiſſe Medicis, quodque ſi prius periculo id agerent ſuo. quoniam Ariſtotelis verba hæc ſunt. Caput, videlicet, huius quæſtionis eſt, vtrum expediat magis ab optimo homine regi, vel ab optimis legibus gubernari? quique gubernationem hominis,

Digitized by Google

minis, ſubiungit, præferunt, leges aiunt ſolum vniuerſaliter prouidere, non autem de ſingulis, quæ accidunt, iubere. itaque in quacumque arte literis præcipere fatuum eſſe: & in Aegypto poſt tertiam diem mouere licet medicis, quod ſi prius, periculo id agunt ſuo. Ideo, inquam, fatuum eſt literis præcipere: quoniam literæ de ſingulis non diſponunt. quemadmodum, exempli gratia, in legibus conſtat Aegyptiorum, in quibus præcipitur Medicis ante quartum non mouere: res profectò fatua, videtur velle inferre Ariſtoteles, cum huiuſcemodi lex de ſingulis minime diſponat; & interdum etiam ante quartũ multoties mouere cogantur Medici: cuiuſmodi in anginis, ſiderationibus, ventris torminibus, pleuritidibus, peripneumonijs: & ſimilibus alijs, etiam ex Martiano relatis, in quibus & purgare per inferiora aliquando, ſanguinem mittere, vomitiones ciere, inurere, ſecare, & ſimilia quæque præſidia adminiſtrare, ante quartum expedit. Ex quibus Ariſtotelis, mouere tantum abeſt ſolam per inferiora euacuationem ſignificare, vt è contra quamcumque dicat; quemadmodum, & in præſenti, qui controuertitur aphoriſmo, κινεῖν quamcumque Medicam mutationem,

Mar-

Digitized by Google

Marſilius Cagnatus ſignificare, peroptime affirmauit.

De verbo non cruda.

CRVDITATEM quamcumque Hippoc. ſignificando, dictione ὠμὸς ſemper vſus fuit: & ideo in præſenti aphoriſmo cõ, cocta, μὴ ὠμὰ ideſt non cruda etiam dixit. non cruda, videlicet, oratio compoſita, inquit Cagnatus meus ex nomine, & negatione, non verò vna tantummodo dictio; quando & ita legendo non cruda concocta etiam ſignificaret, dictio quidem ſuperflua, vanaque repetitio, cum & ante concocta aliàs ab eodem Hippocrate dictum fuiſſet.

In qua etiam re, tametſi ὠμὰ quamcumque cruditatem, iuxta Hippocratem, Martianus ſignificare videatur: nihilominus differt, inquit, dicere non cruda, & concocta, ſiue non concocta, & cruda; cum & non coctum ſed minime crudum aliquid eſſe poſsit: ſicuti è contra & non crudum, ac tamen neque concoctum: quando inter coctum, & crudum

crudum medium quodammodo exhibeatur: idque ſcire, ſubiungit ibidem Martianus, tanti eſt momenti, vt hoc ignorato Hippocratis doctrinam tueri ſit omnino impoſsibile. De quo tamen medio inter has dictiones concoctum, & crudum, quidquid etiam ſit, ad Marſilij mei patrocinationem, ſatis eſt mihi affirmare, quod omne non crudum, reſpectu illius quod dicitur non crudum, concoctum dici poteſt; quemadmodum è contra non concoctum, reſpectu illius quod dicitur non concoctum, crudum intelligendum eſt. Atque ita non cruda, hic in præſenti aphoriſmo, quando vnum vt verbum legerentur, concocta per bene vtique, cum Marſilio intelligi valerent, iuxta illa communiter apud Grammaticos decantata duæ negationes faciunt vnam affirmationem.

De

Digitized by Google

De verbo turgere.

TAndem ἢν μὴ ὀργᾷ; ideſt ſi non turgeat, in eodem aphoriſmo 22. primi libri Hippocratis legitur. Quam dictionem ὀργᾷ Cagnatus meus proprie ad partes corporis retulit, non verò ad humores, vt communiter ſentitur. Turgere, videlicet, nihil ſignificat aliud, inquit, niſi vehementer partes corporis appetere; vel tumere præ deſiderio aliquid effundendi. Ex quo Hippoc. in lib. de genitura ἢν μὲν ὀργᾷ ἡ γυνὴ μίσγεσθαι, ſi mulier, nempe, vehementer concupiſcat viro miſceri. ſicuti & in libro de natura pueri: Quum autem, loquitur idem Hippocrates, mouetur fœtus, tunc ſanè lac indicationem ſui matri præbet: mammæ enim attolluntur, & papillæ gliſcunt, ac turgent. In lib. de fracturis Comm. 3. tex. 18. In hoc autem, legitur, curationis modo futuræ oſſium receſſionis, hoc indicium erit, pus affatim ex vlcere exit, & vlcus turgere videtur. Secundo etiam de morbis, de vua inflammata. Qua propter ſi non turgentem ſeces, ſtatim inflammantur, docebat idem Hippocrates.

tes. Atque tandem in libro de locis in homine, Medicamentum eſt dandum vtpote corpore non turgente. Turgere itaque proprie continentium eſt, ſiue partium, nõ verò contentorum, vel humorum, vt doctiſſime etiam primo de ſanitate tuenda cap. vltimo alias Marſilius meus edocuerat: Atque in præſenti aphoriſmo, amplius, turgere dictio humoribus, ex Hippocrate, accommodata nunquam, inquit reperitur, licet interpretes materia turgeat, interdum ex gratia ipſorum, Hippocraticis orationibus addiderint: Quẽadmodum, exempli gratia, 4. aphor. primo, ſi materia turget adiunxerunt: additio vtiq. Hippocrati perquam incongrua, cum, vt dicebamus, partes turgeant, non verò humores, vt Martianus communi ferè cum Medicorum Academia affirmauit.

Ad quem pariter redarguentem Martianum, vt reſponſum exhibeamus, ſi μὴ ὀργᾷ, dicimus, in præſenti aphoriſmo, ad πέπονα concoctos videlicet humores referatur: præterquamquod humores ex ſe nullo fruuntur deſiderio, vel cupiditate, cum veluti inanimata corpora, niſi moueantur non moueant: attamen, in ſermone Hippocratis, ſequeretur maxima diſcordantia, quando ſi de humori-

Digitized by Google

moribus μὴ ὀργᾷ intelligeretur, nequaquam μὴ ὀργᾷ, ideſt non turgeat, verum μὴ ὀργῶσι, ſiue ὀργῶσι, ideſt non turgeant plurali numero legendum eſſet; quemadmodum plurimi ex cœtu Medicorum, cũ Martiano etiam, diſcordantiam verborum effugiendo, non turgeant, ſed falſo in Hippocrate legunt. Cum ergò partes turgeant, atque turgere naturalis ſit corporum affectorum appetitus ad aliquid expellendum; quoniam Hippocrates in præſenti aphoriſmo concocta, primario purgationem intellexit, quando concocta purgare dixit. Secundario verò etiam quamcumque aliam medicationem: Ideo ad calcem aphoriſmi, de crudis agendo affectibus, μὴ ὀργᾷ ſubiunxit: purgare videlicet, nec etiam in principijs cruda oportet, modo non turgeat: hoc eſt modo aliquam ad expulſionem corporum natura minime inclinet. Et hæc etiam de verbo turgere pro nunc mihi ſufficiant.

De

Digitized by Google

De ijs quæ dicit Martianus ad fol. 21. Marſilianæ cõmentationis. Quæ nam, videlicet, Hippocrates in aphoriſmo matura intelligat, atque cruda.

EXaratis iam ſingulatim quibuſcũque aphoriſmi verbis, Hippocratis conſilium, vt melius habeatur, in primis quærit Marſilius Cagnatus, quę nam ea ſint, quæ πέπονα ſiue concocta, vel matura appellantur: humores nè, an verò excrementa, ſiue morbi? atque ſubſequenter multis, & doctiſsime quoque, non verò lubriciter, vt aſſeritur, nequaquam humores, verum ex Hippocrate in præſenti, morbos intelligi probat.

Ad quæ etiam Martianus ſemper è contra: & ſi, inquit, crudæ affectiones, aut morbi nonnumquam appellentur, id quidem non ex ſe, verum reſpectu humorum fit, qui crudi ſunt,

atque

Digitized by Google

atque etiam concocti ex Hippocrate intelliguntur. argumento autem præcipue, quoniam 7. epid. ſubpurgare docuit Hipp. ventres oportet vbi purganda matura fuerint, quæ vtputa verba, ad morbos minime, ſed ad humores referri videntur.

Atqui ſuppoſito primum, vt ſuperioribus cum de πέπονα dictione agebatur, etiam humores poſſe dici concoctos. ſuppoſito nec non etiam, haud tamen ſemper concedatur, & ratione quoque humorum affectiones crudas appellari. nihilominus Marſilio Cagnato Doctori meo præſtantiſsimo, ſatis eſt affirmarem, in præſenti concocta, vel cruda verba, minime ad humores, verum ad morbos è directo fuiſſe accommodata. cum, ſi præterea, de humoribus intelligi voluiſſet Hippocrates, πέπονος dixiſſet, ſiue concoctos humores, non verò πέπονα neutri generis.

Quando autem 7. epid. ὑποκαταίρειν, τὰς κοιλίας, dicit Hippocrates, ἐν τοῖσι νοσήμασιν ἐπὴν πέπονα ᾖ, πεμπτέα purgare, videlicet, ventres oportet in morbis, vbi matura mittenda fuerint: mittenda, ſiue πεμπτέα dictio græce, non eſt dubium, quod ab omnibus de humoribus intelligitur. ſed cum proprie humores non mittantur, verum trahantur potius

tius ex medicamentis, vt videre eſt ex Hippocrate in lib. de natura hominis, quando medicamenta, docet, ita trahunt, ſicut ex terra naſcentia, quæ ſibi in alimẽtum ſuccum terræ ſibi familiarem trahunt. cum inquam humores trahantur potius, quid ſi dictio mittenda aliquis diceret etiam intelligi de morbis? Ventres ſcilicet purgare oportet vbi mittenda, ſiue expellenda τὰ νοσήματα matura fuerint? Sed hæc obiter dicta ſint. quandoquidem etſi de humoribus πεμπτέα dictio hic intelligatur, nihil contra nos, qui aſſeruimus, & humores quoque ſub verbo πέπονα, intelligi poſſe.

De ijs quæ Martianus dicit ad fol. 25. Marſilianæ commentationis.

INſuper eandem concluſionem patrocinando Cagnatus, ideo quidem, dicit, dictio πέπονα, de humoribus intelligi non poteſt: quoniam ex Galeno ſecundo aph. 29. per initia morborum maiora remedia adhibenda ſunt: eaque vel purgatio eſſe docet, vel venæ ſectio. Sed per initia morborum humores crudi ſunt. ergò etiam crudi humores purgandi, non verò ſolummodo concocti. Cum etiam primo acut. 18. Illud euacuandum, doceat idem Galenus, quod exuſtum eſt, & amplius concoqui non poteſt: quemadmodum lib. de conſtitutione artis Medicæ cap. 19. ſi quid, inquit, relinquitur, quod coctionem affugiat, illud euacuandum. Igitur non concocta ſolum, ſed cruda etiam euacuanda ſunt.

Ex quo eadem ratione, in acutis Hippoc. quarta die purgat ardenter febricitãtes. Tertio de morbis de eadem ardente, & primis

Digitized by Google

quidem diebus deorſum purgato, docet. De tertiana in libro de affectionibus, Quandocumque apprehenderit febris, ſi quidem tibi videbitur non purgatus, quarta die pharmacum dabis. Atque tandem in toto orbe nullus reperitur Medicus, & ſi rudiſſimus, qui etiam non concoctis humoribus, aliquod ex leuiter purgantibus non propinet, dummodo indicetur, iuxta illud in aphoriſmis tam decantatum Hippocratis, Inchoantibus morbis ſi quid tibi videtur mouendum moue. Crudi inquam humores interdum purgandi ſunt, non verò ſolummodo cocti, vt πέπονα ad humores referentes, affirmant.

Ad primam ſecundi aphoriſmorum, & libri artis Medicæ auctoritates, reſpōdet nunc Martianus; atque in his Galeni locis percipiendis, Marſilium æquiuocum dicit; cum non concoctum, atque crudum, vt aliàs declarauit, inter ſe idem minime ſint. quæque ex Hippocrate in aphoriſmo concocta, à purgatione excluduntur, cruda ſunt, non verò concocta ſubiungit: In hoc autem loco ego Marſilium diligentiſſime legi, nec vnquam tamen non concoctos humores recordaſſe memini: quinimo è contra, crudos à Galeno præcipi euacuandos; cumque crudos, igitur non

non concoctos ſolum cum explicatione Marſilij Cagnati.

Ad locum primi acutorum, quod exuſtum euacuandum, id & nos etiam concedimus, reſpondet Martianus. ergò crudum euacuandum, negatur, inquit. quandoquidem quod exuſtum, non dicitur crudum Hippocrati, etiam ſi non ſit concoctum, cum inter crudum, & concoctum medium exiſtat.

Sed bone Deus, quod exuſtum ideo euacuandum docet Galenus, quoniam concoqui non poteſt. ergò quod exuſtum neceſſario præſupponitur crudum. cum etiam exuſtum, ſiue exuſtos humores, cruditas morbi, magnaque ſympthomata conſequantur. quemadmodum in Phylini vxore, refert Hippocrates in epid. Aluus combuſta erat, & perijt. Hermocrati ab aluo pauca combuſta prodibant, & etiam perijt. Theodori vxori, nec non etiam Hermocrati 7. epid. ægris, vrinæ cineris ſpeciem referebant, & ideo dies ſuos pariter obierunt. Atque tandem in praxi, huiuſmodi in dies apertiſſimum efficitur; aduſtis nempe excrementis apparentibus, Medicis dubia cuncta redduntur. Aduſtum, itaque, crudum appellandum eſt, & ſi inter crudum, & concoctum medium quodammodo

Digitized by Google

haud negetur: medium verò tranſeunter, non autem permanenter, ſicuti & de omnibus etiam temperamentis idem aſſeritur: non quidem corpora ad pondus temperata permanenter à medicis conceduntur, verum tranſeunter ſolummodo; cum etiam naturalium corpora perpetuo in qualitatibus moueantur, & vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, ex prædominio appellentur: licet in ſe omnes qualitates, refractas tamen, contineant. Et ideo etiam in hoc caſu noſtro, ſecundum prædominium ſaltem, vel crudi, vel cocti, humores vocandi ſunt; ſicuti & aduſtum, vel crudum, vel coctum pariter dicendum, quidquid ſit inter hæc de Martiani medio.

Conſequenter idem Marſilius, ideo concocta, docet, vel πέπονα, dictio, de humoribus minime intelligitur, quoniam concoctio humorum eſt veluti cryſis futuræ indicium, iuxta illa Hippocratis primi epid. 2. Coctiones celeritatem iudicationis, atque ſecuritatem demonſtrant: quæ inquam cryſis, vt non eſt interrumpenda dum fit, ita nec etiam intercipienda paulo poſt futura. Solent autem medicaměta iudicationes impedire, vt Hipp. 4. acut. 11. & alibi adnotauit. Ex quo ideo fortaſ-

Digitized by Google

fortaſſe Gal. 2. aph. 29. Fruſtra euacuamus, docuit, ſi natura concoxit: quoniam, ſcilicet, periculum eſt ne cryſes, ſiue iudicationes ex pharmacis impediantur.

Ad hæc reſpondet etiam Martianus, concoctiones, quando dixit Hippocrates, celeritatem iudicationis oſtendunt, atque ſecuritatem, nomine iudicationis, ipſum largiori modo vſum fuiſſe, & quatenus omne genus ſolutionis importat: non verò quia cryſis proprie dicta, & illa iudicatio, quæ celebratur ſenſibili euacuatione, concoctionem præſupponat: ſufficit enim, ſubiungit, ad cryſim, naturam morbo præualere.

Verum ex altera parte, qui dicit omne nihil excludit, commune eſt axioma. Ergò ſi coctiones iudicationem indicant, quamcumque vel ſenſibilem, aut inſenſibilem intellexit Hippocrates. Vnde etiam Galenus 4. aph. 22. ſiquidem, aſſerebat, coctionem præire oportet, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea euacuationem, vt bona ſit cryſis, ſiue iudicium.

Secundo, ſi cryſis proprie dicta minime ſupponit concoctionem, verum ſatis eſt; vt natura morbo præualeat; Cur ergò huiuſcemodi magis à natura in ſtatu celebrantur,

 docen-

Digitized by Google

docente Galeno primo aph. 19. & 20. 3. de cryſibus cap. 5. cap. 10. & alibi: Non verò fiant cryſes in principio, vel augumẽto? In quibus profectò temporibus, naturam morbo minus ſuccumbere, quam in ſtatu, certiſſima res eſt: ſiquidem circa initia, & fines omnia imbecilliora, in aph. docebat Hippocrates, in ſtatu verò fortiora: Cum etiam paulo ſuperius, ideo cryſes celebrari docuerit Martianus, quoniam humores naturam ad expulſionem, aut copia, aut noxia qualitate irritant, atqui in principio, vel augumento, & copioſiores exiſtant humores, nec non etiam qualitate noxij, cum nullam adhuc receperint concoctionem.

Remiſſio morbi omnem cryſis ſuſpicionem tollit, inferius Martianus aſſeruit; & ideo remiſſo, concoctoque morbo ad purgationem deueniendum, abſque periculo quod cryſes impediantur. Concluſio vtique Hippocraticis documentis è directo contraria: quando modum, qui ſanitatem facit non mutato, Hippoc. lib. de locis in homine aſſerebat. & aliàs in aphor. Quæ iudicantur, & iudicata ſunt nuper, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, vel aliter irritando, ſed ſinere oportet: Morbi autem decli-

Digitized by Google

declinant, cum eodem Hippocrate in lib. de flatibus, maxime etiam iudicantur. Ergò ijſdem declinantibus haud pariter pharmaca propinare licet. Neque dicat Martianus, Ideo declinantibus morbis pharmaca conuenire, quoniam, ſcilicet, perfecte non iudicantur; quandoquidem, ſi conferenter, facilique tolerantia ipſi remittantur, maxime etiam perfecte iudicantur.

Et ideo, ad hoc vt melius videatur, an perfecte, vel imperfecte iudicatio celebretur per morbi declinationem, obſeruandum à medicis, non verò pharmaca exhibenda ſunt, iuxta illa Auicennæ, & aliorum communiter Medicorum, cum natura mouet, tace tu, cum verò non mouet, moue tu hora motus eius: Atque non eſt dubium aliquem eſſe motum naturæ cum morbi remittuntur.

Sed Martiani dictis propius accedendo, remiſſio morbi cryſis ſuſpicionem tollit, & ideo remiſſo morbo, concoctoque humore, inquit, ad purgationem deueniendum abſq. periculo quod cryſes impediantur: Ac tamen paulo ſuperius, cum Hippocrate, morbos aut coctione, aut cryſi, aut abſceſſu terminari dixerat idem Martianus: ſi inquam concoctio ſpecies eſt iudicationis: Ergò concoctis

coctis

Digitized by Google

coctis humoribus nequaquam purgandum eſt; quando cum aphoriſmo Hippocratis ſuperius adducto, Quæ iudicantur, & iudicata ſunt nuper, neque mouere, neque nouare, &c.

Neque valet, quod inferius effugiendo Martianus aſſerebat; Purgationem, videlicet, remiſſo, aut iudicato morbo, ideo præcipi ex Hippocrate, vt recidiuæ occaſio tollatur: namque recidiua proprie celebratur poſt morbi iudicationem; cumque futura eſt, aliquid etiã ex iudicatione relinquitur, quod ipſam facere poſſit, iuxta illa tam decantata in aphoriſmis, Quæ relinquuntur in morbis, poſt iudicationem, recidiuas facere conſueuerunt. Igitur ad intercipiendam ipſam recidiuam, iudicatio morbi expectanda eſt: atque vlterius, an aliquid eandem poſt iudicationem relinquatur. Non igitur recidiuæ occurrendum in remiſſione morbi, quando incertus ſis, an aliquid ſit remanſurum, quod recidiuam facere valeat: Atque præterea, nec etiam iudicato morbo eidem recidiuæ prouidendum, ſi iudicatio integra facta ſit, & ſine vlla ſuſpicione. Deinde in ipſa morbi declinatione, Hippocrates, pharmaca propinando, vt plurimum curandi gratia exhibuiſſe memini, non verò ex recidiua

præſer-

Digitized by Google

præſeruandi. & profectò, curate nos proclamant lecto iacentes, non autem à recidiua præſeruatæ.

Sed de hac recidiuæ gratia purgantium exhibitione, quidquid etiam ſit; Vlterius concoctio, legitur in Galeno 6. epid. com. 5. tex. 6. Nihil eſt aliud, niſi deductio quædam ad temperiei moderationem, vt in matureſcentibus fructibus apparet; Nulla igitur purgatione opus erit, cum humores ad temperiei moderationem redacti fuerint: Atque concocto, iudicatoque morbo, & perfecte, à pharmacis penitus, & omnino abſtinendum eſt. quando & cum eodem Hippocrate in aphoriſmis, Qui corpore valent difficulter ferãt purgationes; ſicuti carnes ſanas habentibus, helleborus periculoſus eſt, aliàs edocebat: Periculoſæ, inquam, ſunt purgationes, ſi perbene iudicato exhibeantut, vt in dies experientia quoque comprobatur.

Neque obſtat autem, quod Hippocrates 2. de morbis in curatione febris continuæ, & ſi iudicatæ, pharmacum deorſum purgans exhibuerit: quoniam de vna tantummodo febre, ibidem loquutus fuit, atque non perfecte iudicata; quinimo de febre, in qua aliquid relictum fuerat, quod recidiuam facere po-

Digitized by Google

re poterat. Quæcumque enim relinquuntur tur in morbis poſt iudicationem, recidiuas facere conſueuerunt: ſicuti in hoc caſu, in quo febris hicteritiam relinquit, & ideo ad finem, morbus hic poſt iudicationem rurſus corripit, Hippocrates dicit, ſi ſanguis nimium bilioſus factus fuerit: Quemadmodum & eadem ratione poſt apoplexiam, anginam, interficientem febrem, & alios ſimiles affectus, purgationem exhibuit Hippocr. quoniam ſcilicet, & huiuſcemodi etiam poſt ipſos aliquid reliquerant, quod recidiuas facere valeret.

Quarè, concludit tandem Martianus, veluti vrinæ tenuitas, quatenus eſt ſignum cruditatis, ſuper purgationem prohibet, niſi turgeat; ita eiuſdem craſſities, quæ coctionis eſt nota, vnà cum humorum præſentia, eam perpetuo indicabit.

Ex altera verò parte Galenus in porrhett. comment. 3. tex. 71. Vrinæ aquoſæ, inquit, in quibus album ſublime pendeat, concoctum morbum, eſſe indicant. Sed ſic eſt quod vrinæ aquoſæ tenues ſunt; ergò etiam vrinæ tenues, aliquando, concoctæ eſſe poſſunt, licet vt plurimum craſſæ ſint, quando concoctio incraſſando fiat. Hippocrates etiã

Medi-

Digitized by Google

Medicorum Princeps lib. prædictionum com- ment. 2. tex. 34. Qui tenuem, crudamq. vrinam dicit: ſi cruda, & tenuis vrina idem ſunt, ad quid igitur cruda dictio nunc ſuper addatur? Præterea Cherioni primi epid. numuro quinto, decima octaua die vrinæ tenues erant, & nihilominus decimanona liber, ſicuti & vigeſima perfectè iudicatus legitur. Primo, eorundem epid. conſtitutione 2. de febribus continuis, quæ tunc temporis vagabantur: Vrinæ verò horum plurimis, recenſentur, aut tenues, & crudæ, & decolores, & poſt tempus parum concoctæ iudicatorio modo. aut craſſitudinem habentes, verum turbatæ, neque conſiſtentes, neque ſubſidentes, neque concoctæ. Ita quod ſecundum Hippocratem hic, Vrinæ tenues, crudæ, & concoctæ eſſe poſſunt, & per conſequens cum cruditate, vel coctione morborum: ſicuti etiam & craſſæ, non ſemper concoctæ, ſed crudæ, vel morborum cum cruditate; vt in Hermocratis hiſtoria 3. epid. melius videre licet. in quo vrinæ craſſæ à principio fuerunt, & vigeſima ſeptima periit. Quo igitur modo, cum Martiano, craſſæ vrinæ ſemper concoctionem ſignificant, ſi à principio in Hermocrate apparuerunt? Cum

etiam

Digitized by Google

etiam vrinæ concoctæ, vel crudæ proprie sint, ratione contentorum: Et ideo Medici interdum, vrinas conſpicientes, concoctio adeſt, vel abeſt, dicere ſolent. Crudæ, inquam, vel concoctæ magis appellantur vrinæ, quatenus plus, vel minus contenti in ſe habeant, magis vnitum, & ſimilia: atque ſi contento penitus careant, crudiſſimæ ſunt, cruditatemque morborum inſignem demonſtrant. quemadmodum exemplo, præſertim, in illis omnibus patuit, qui primo epid. conſtitut. 2. referuntur: quique cum vrinis abſque contento peſſime etiam ſe habuerunt. & magis particulariter, in Menone, Theodorique vxore 7. epid. ægris: quorum finis cum iiſdem vrinis interitus fuit. Haud igitur perpetuo recipienda eſt Martiani doctrina, aſſerentis tenues vrinas cruditatem morborum perpetuo indicare: ſicuti & craſſas eorundem concoctionem. & conſequenter cum tenuibus à purgatione abſtinendum, veluti & cum craſſis, eandem maxime celebrandam eſſe: quandoquidem & ſi vrinæ tenuiſſimæ eſſent, verum contento albo, leui, & æquali etiam fulcitæ, ſecundum communem medendi inſtitutum, nemo quidem eſſet, qui à purgatione ſe abſtineret: dummodo tamen, & eandem

Digitized by Google

dem faciendam aliquid eſſet, quod demonſtraret. Quemadmodum è contra, vnuſquiſque Medicus purgationem effugiet, ſi in ſtatu, vt fieri ſolent, vrinæ craſſæ, vel nebuloſæ fuerint.

Et ſi autem Hippoc. 4. acut. Vrinis craſſis exiſtentibus purgationem præcipiat, non verò tenuibus, haud ideo tamen ſequitur vrinas craſſas concoctionem ſignificare: quinimo, cum dicat idem Hippocrates, quibus in principio vrinæ nebuloſæ, vel craſſæ ſunt, tales depurgare oportet, ſi etiam alia contulerint, oppoſitum colligitur: namque ſi in principio vrinæ craſſæ, quo igitur modo concoctionem ſignificant? Ideo verò ipſe affirmarem hic in præſenti, vrinis craſſis exiſtentibus purgationem iuberi ex Hippocrate; quoniam earundem craſſities demonſtrat quantitatem humorum. atque propterea, licet in principio febrium, talibus exiſtentibus, purgatio vtique peragenda eſt. ſi verò è contra, vrinæ tenues ſint humorum copia nequaquam oſtenditur, vnde infuſum per clyſterem in hoc caſu adhibeto, Hippocrates ſubiungit, quando ad paucam materiam educendam ſolus clyſter ſufficiat, non verò & purgans pharmacum neceſſarium ſit. Sed de

huiuſce-

huiuſcemodi vrinis quidquid etiam ſit, cum ad Marſilij commentationem nihil faciat, omittamus quæſo in præſenti, & accedamus ad reliquas redargutiones.

De ijs quæ Martianus aſſeruit ad fol. 41. eiuſdem Marſilianæ commentationis.

CVm ergò non de humoribus, nec etiam de hominibus, vel alijs huiuſmodi, *πέπονα* dictionem intelligi Marſilius proclamauerit, tandem de morbis accipi debere concludit: atque ex morbis alios crudos eſſe, alios maturos, & alios denique inter hos medios: Maturi inquam morbi ſunt ad ſimilitudinem hominum, qui vt à græcis maturi dicuntur, quoniam faciles, vel benigni ſint, maturiſq. moribus conſtantes; ita etiam morbi benigni, boniſque moribus compoſiti, maturi aſſeruntur: quales, exempli gratia, ephemeræ febres dicuntur, tertianæ, & ſimiles alij morbi. E contra verò cru-

rò crudi denominantur morbi, quorum natura ad moroſos, difficileſq. homines ſimilitudinem habet: morbi vtputa, qui nec ſanari poſſunt, neque vllis remedijs vnquam miteſcunt: quinimo ab ijſdem exacerbantur, tangiq. minime poſſunt. Atque huiuſmodi etiam, inter cœteros, cancri ſunt, quos in aphor. Hippocrates, non vlceratos tamen, melius eſt non curare, docebat, quam curare: ſunt etiam phtiſis, aqua inter cutem, cerebri, hepatiſq. vulnera, & ſimilia quæque. Inter maturos autem, atque crudos, medij inſuper ſunt, qui hoc maturitatis genus aliàs habent, aliàs verò minime. atque tales, præſertim, acuti omnes morbi ſunt, modo crudi, modo è contra maturitatem adipiſcentes. cumque crudi minime curandi; quemadmodum ſi maturi, curationes maxime recipiunt. Et quoniam in ſtatu ſemper crudi ſunt, propterea etiam perpetuo, in tali morborum tempore curationes ab Hippocrate in aphoriſmis prohibentur, modo tamen non turgeat, vt ſuperioribus aliàs dicebatur: Et hæc, & multa alia ſunt, quæ hic in præſenti Marſilius docet. Quæ omnia Martianus cum deridet, tum etiam & ſubtilitatis titulo decorauit. Sed omiſſis etiam huiuſcemodi deriſionibus, quã-

E do &

Digitized by Google

do & homine phyloſopho minus dignæ ſint: atque intentio noſtra, in præſenti, ſolummodo veritati dirigatur, nequaquam verò in aliorum contumelias. Concoctos morbos, ſiue crudos appellaſſe Hippocratem, ſuperioribus, cum de verbo πέπονα, ſatis ſuperque probatum fuit. Morbique concocti etſi ſalutares, vel benigni ſint, nihilominus curari debent, dummodo & eorundem curationes à natura indicentur: licet enim tertiana febris, exempli gratia, quam naturam ſuam ſeruantem tutiſſimam vocauit Hippocrates in primo de morbis, concoctus, benignuſque morbus ex Marſilio appelletur: attamen vtique purganda, ſi purgatio, videlicet, à natura indicetur: quoniam concocta purgare, inquit Hippocrates; non quia omnia concocta purganda ſint, verum in quibus, tantummodo, purgationis neceſsitas adſit, Hippocrates intelligitur. Et ideo, quamquam morbi concocti benigni ſint, nec non etiam ſalutares, ſi natura tamen purgationes, vel aliàs curationes indicet, vtique & maxime etiam peragendæ ſunt: ne videlicet, crudi & inſalubres deide, ijdem euadant.

Inſuper maturi morbi, ita ſunt, inquit Cagnatus, vt nullo tempore periculum ægris minen-

Digitized by Google

minentur, & naturam habent adeo ſequacem, vt remedijs facillime cedere videantur. Ergò maturi morbi nequaquam ſunt curandi, melius erat dicere, vnde colligat Martianus ipſe non video. quando primo de morbis idem Hippocrates affectiones fluidas circa articulos, atram bilem, podagram, coxendicum, teneſmum, quartanam, nec non etiam tertianam febres, ſtrangulatus vrinæ, lippitudinem, lepram, impetiginem, & morbum articularem, non læthales appellat, & per conſequens ſalutares; atque nihilominus eorundem curationem peregit in pluribus locis. Ephimeram febrem, pſoram, morpheam, caniciem, caluitium, & alios ſimiles affectus, etſi ſalutares, atque omni tempore periculo carentes, tamen curarunt plures medici, tum antiquiores, tum etiam & ex recentioribus. atque ipſe etiam Martianus, ſi vera fateri voluerit, prædictorum omnium morborum curationes interdum celebrauerit. Ita quod maturi morbi, etſi benigni ſint, curatu faciles, nec non etiam periculo carentes: nihilosecius curandi haud non ſunt. & abſque eo, quod medicamenta perdantur, ægri affligantur, naturæ ægrorum onerentur, & ſimilia alia ſcelera committantur. ſicuti è

contra, licet crudi nequaquam morbi curandi ſint, nihilominus Hippocratica ſententia, vtiliſsima eſt, quando etſi turgeat, maxime curari debere ſubiungit: ſi verò non turgeat, horum morborum nequaquam curatio molienda eſt, iuxta illam eiuſdem Hippocratis, in lib. de arte, pulcherrimam definitionem; Medicina eſt morbos ab ægris in totum tollere, morborum vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi ſunt curationem non aggredi: ea verò potiſsimum ratione, quoniam in talibus propinata pharmaca, vtpote inutiliter, atque temere, maximopere infamantur. Neque obſtat, quod etiam crudis, hodierno tempore, morbis, ex Medicis occurratur; quoniam id minime facit, quod Hippocrates contrarium non docuerit: ſumus nunc in explicatione verborum Hippocratis, cruda docentis, neque curanda, neque tangenda: non verò intentio Cagnati, hoc in aphoriſmo, docere fuit, ex nobis quid agendum. quando & aliud requirat Chriſtiana pietas, quod ex antiquioribus gentilitatis, nequaquam permittebatur. Ex quocumque crudiſſimo, vel læthaliſſimo morbo, interdum & non nullos eua ſiſſe, concedimus & nos etiam; id nihilominus haud

facit,

Digitized by Google

facit, quod vt plurimum interempti non fuerint: & ideo vt plurimum curandi, nec etiam erant apud Antiquiores, dummodo natura non turgeret. Eſtò pariter quod Hippocrates aliàs, crudorum morborum cum docuerit curationem, tum etiam & exercuerit: quandoquidem, docuit ipſam non perpetuo, verum natura turgente ſolum celebrandam eſſe. quo etiam tempore, & eandem fortaſſe curationem effectu peregit, non verò prouinciam ſumpſiſſe curationis, & nullo modo vincibilem temere, affirmarem: ſiquidem, vt paulo ſuperiùs dicebatur, Medicina eſt morbos ab ægris in totum tollere, morborum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à morbis victi ſunt curationem non aggredi. Deuicti autem ægri non modo deplorati, verum etiam & alij huiuſmodi crudos morbos habentes appellari poſſunt. & ideo ad finem ſubiungit ibidem Hippocrates, quoniam in confeſſo eſt tales medicinam ſanare non poſſe. qui autem ex medicina ſanari non poſſunt ægrotantes, non modo deplorati ſunt, vt Martianus ait; verum etiam & alij, atque in ſpecie, omnes illi, qui afficiuntur ægritudinibus ex Hippocrate primo de morbis, & aliàs enumeratis, ex hidrope videlicet, tabe, Eriſipelate

in

Digitized by Google

in vtero; cerebri, cordis, hepatiſque ſauciationibus, & ſimilibus alijs, etiam prima die affecti homines, & nequaquam deplorati, vel prope mortem exiſtentes, incurabiles ex Medicina ſunt.

Concocta medicare, atque mouere, non cruda, neque in principijs, modo non turgeat, ipſe amplius adderem intelligi poſſe prima, intentione ſanationis. quoniam & huiuſcemodi crudorum morborum curationem peragendo, ſanitas minime conſequatur. Si vero ægrorum ſpem nutriendi gratia, ne ſcilicet tanquam incurabiles patientes derelicti ſe penitus deſerāt: aut eorundem ſympthomatum cruciatibus occurrendi, vel alicuius alterius rei cauſſa adipiſcendi, aliquid ex leuiter mouentibus, neque cruditatem exacerbantibus, tibi Medico exhibere placuerit, vtique & Chriaſtiano præſertim, in quo charitas pro impietate redundare debet, nequaquam prohibetur. Verum eſt, quod ſimilia, in crudis, maxima cum cautione peragenda ſunt: atque proteſtationibus multis antea exhibitis. quando aliter agendo in culpā medici, deinde, omnia mala referantur: Artis enim medicæ recte facta, plerique è vulgo hominum non omnino laudant, verum

Dijs,

Dijs, & fortunæ attribuunt; ſi verò natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, medicos obiurgant numen prætereuntes, inquit Hippoc. in Epiſtola ad Democritum. In Medicos facillime vulgus male loquuntur, & ideo in primo prognoſticorum idem Hippocrates, Nihil perinde Medico conducibile cenſeo quam, vt prudentem ſe præſtare conetur, etiam docebat: etenim, apud ægros, ſi præterita præſentia, & futura, atque ea, quæ ipſi inter narrandum omiſerunt cognouerit, prædixeritque nihil quod ægris vſui fuerit ignorare putabitur. atque inferius, quos enim Medicus ſuperſtites fore cognouerit, eos melius ſeruabit; morituros autem, victuroſque cognoſcens, atque prædicens, omnem prorſus vitabit calumniam.

FINIS.

Digitized by Google